Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VOMITV GRAVIDARVM PR MIS PLERVMQVE GESTATIONIS MENSIBVS FIENTE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRIC

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN

GARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE

ET WITTGENSTEINII RELIQVA

AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSISSIMAE FAC. MEDICAE

PRAESIDE

HERM. FRIDER. TEICHMEYER

HAEREDITARIO IN CAMSDORFF ET WENIGEN-IENA

PHILOS. ET MED. DOCT. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTANICES P. P

SERENISS. SAX. DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL. ET ARCHIAT

ACAD. NAT. CVRIOSOR. IMPERIAL. LEOPOLD. CAROLIN. ET REG

SOC. SCIENT. BORVSS. SODALI

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE AETATEM COLEND

PRO GRADV DOCTORIS

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

GOTTLOB AMBROS. CHRIST. SCHELHASIV

NEOSTADIENS. AD ORLAM OSTERLAND.

AD DIEM XXIX. MARTII A. O. R. CIↃ IↃCCXXXVIII.

IENAE, LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

VIRIS
EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO
AMPLISSIMOQVE

IOHANNI ERNESTO SCHELHASIO

IVRIS VTRIVSQVE LICENTIATO
SERENISSIMI DVCIS WEISSENFELSENSIS A CONSILIIS
ET CONSVLI QVERFVRTENSI DE RE PVBLICA
OPTIME MERITO

NEC NON
PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMO
AMPLISSIMOQVE

PAVLO ERNESTO LVDOVICO SCHELHASIO

CONSVLI ISENACENSI DE RE PVBLICA OPTIME
MERITO CAVSARVM QVAE IN AVLA GERVN-
TVR PATRONO CELEBERRIMO

PATRVIS ET PATRONIS SVIS
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDIS

HAS PAGINAS
EA QVA DECET AC PAR EST OBSERVANTIA
OFFERT

AVCTOR.



§. I.



RGANICVM corpus, quatenus cum anima rationali coniunctum eſt, conſtituit hominem. Concipitur E. quidquid de corpore dici poteſt vel ex vi entium, vel ex natura extenſionis & inde pendentibus proprietatibus. Vltimæ hæ variant in diuerſis organis: ſequuntur igitur ex corpore organico pro ſui vel ſuarum partium diuerſa vi ac extenſione effectus diuerſi, dicti actiones. Partium animati corporis facultas naturalis actiones has ſuas decenti ratione producendi, ſanitatis; ſanitati oppoſitum, morbi nomine inſignitur.

§. II.

Vis & extenſio ſunt quanta; E. & corpus noſtrum; (§. 1.) hoc igitur tam augeri, quam minui poterit. Augmentum corporis, vim & extenſionem auctam; imminutio eiusdem, vtramque imminutam eſſe inuoluit. Augmentum & imminutio, cum non eodem tempore fieri poſſint, diuerſis fient: temporum vero ſpatia, quae corpus animatum viuendo percurrit, aetates audiunt. Variare inde cum aetatibus actiones hominum debent, ita, vt hac aetate has, alia alias praeſtare corpus poſſit. Suffragatur experientia: ex inſigni exemplorum congerie notiſſimum hoc patet, infantem generandi & concipiendi potentia carere.

§. III.

Proficiſcitur hinc (§. 2.) varia in variis aetatibus viuentium denominatio. Vtriusque ſexus homines, dum aetatem iſtam ingreſſi ſunt, quæ ad generationis negotium apta plerumque inuenitur, adulti vocantur. Solet haec aetas cum fine incrementi corporis in longitudinem ordinarie coniuncta eſſe.

§. IV.

Singulis ordinarie menſibus per pudenda muliebria factum maſſae ſanguineae profluuium, aliquot dies durans, menſium nomine notare conſueuit.

§. V.

Sano corporis ſtatu praeſente, menſes tam in fluendi, quam ceſſandi termino ſtatis legibus adſtrictos reperimur, & quidem duplici modo, quoad ortum nempe & finem, tam generalem, quam ſpecialem. Generatim oriri ſolent XIV. anno regulariter; finiri XLVIII. Speciatim trium dierum ſpatio fluxus, viginti octo interſtitium abſoluitur in plurimis, fluxu hinc ad interſtitium in ratione fere ſubnoncupla exiſtente. Quantitas excretae maſſae ſanguineae, ſecundum Celeb. FREVNDII *examen*, ad ℥xx. regulariter aſcendere ſolet. (vid. eius *Emmenolog. cap. I.* p. 1.) Seceſſio a dictis legibus ex ſubiectorum ſingulari conſtitutione explicanda eſt.

§. VI.

In longitudinem durante corporis noſtri incremento, ingeſtorum ſumma maior eſt ſumma egeſtorum. Cum vero iſtud in adultis ſexus ſequioris ceſſet, (§. 3.) & ingeſtorum quantitas in illis ſit eadem adhuc, ad incrementum vero in latitudinem longe minori, ac ad prius memoratum, copia aſſumtorum opus ſit; fluidorum omnium in adultis his quantitas maior euadit: E. & maſſae ſanguineae. Haec eo plus augetur, quo vel copioſiora aſſumta ſunt, vel aptiora ad bonum chylum ſanguinemque producendum.

§. VII.

§. VII.

Huius massae sanguineae (§. 6.) cum iusto (§. 5.) plus tardatur euacuatio, ista, morbos varios inducendo, auxiliatrices manus exposcit. Harum ope excretione promota, ad pristinam sanitatem redeunt aegrae, manifesto indicio, quod haec massa sanguinea abundantia sua sanitatem laederet, ad vitae conseruationem non pertineret, superflua funderetur, mensium nomine. His rite fusis, iustam massae sanguineae proportionem praesentem indicat hos secutura sanitas.

§. VIII.

Procul abest, quin ex dictis (§. 6. 7.) elici poterit, suffulcire nos propositam inter alios sententiam ab HELMONTIO, qui, sanguinem mensium veneni indolem assumere credit. (vid. eius *Oper.* sub tit. *tributum lunare* p. m. 689.) Illustris vero WEDELIVS (in *physiolog. med. sect. III. cap. 29.* p. 210.) & Cel. BOHNIVS (in *circ. anatom. physiolog. progymn. 16.* p. 258.) huius asserti solum euerterunt, vt & alii haud pauci. Lectione superius citati loci HELMONTII adparet, illum ex superfluiditate suam elicisse sententiam; patet vero, quod a quantitate vitiata rei, ad qualitatem eius actu talem concludere non liceat: idem igitur nec valebit de massa sanguinea. E. menses sunt quantitas boni sanguinis. (§. 6. 7.)

§. IX.

Sunt certi cancelli, quibus vasorum nostri corporis capacitas inclusa est, ita, vt modo his stantibus, vitae, sanitatisque conseruatio immota stare possit. Hos si transgreditur massae sanguineae & inde pendentium humorum nostrorum quantitas, status prodit, plethorae nomine donatus.

§. X.

Massa sanguinea est humor nostri corporis: E. & in vasis eiusdem. Cum sanguis, qui sub mensium titulo abit, in corpore existens superfluus sit, (§. 7.) & quantitate sua, addita

addita quantitati reliqui ſanguinis, capacitas vaſorum naturali maior euadat, iſte, in corpore haerens, inducet plethoram; (§. 9.) ex quo adultae ante menſium fluxum in relatione ad priſtinum ſtatum plethoricae exiſtimantur.

§. XI.

Nuncupatur, quidquid in matris gremio humanam formam refert, foetus. Inter viſcera vnum eſt ſexui ſequiori proprium, pyriforme, intus ſenſibiliter cauum, in regione pubis intra veſicam vrinariam & inteſtinum rectum ſitum, vterus dictum. Commoratur in hoc per aliquot menſes foetus, ea connexione, vt vteri internae cauitati adhaereat, vel immediate, per corpus membranoſum ac vaſculoſum, latitudine craſſitiem ſuam exſuperans, placenta vocatum; vel mediate, in foetus vmbilicum corpore tereti hiante, vna vena & duabus arteriis gaudente, quod, a ſimilitudine funiculi, funiculus vmbilicalis audit.

§. XII.

Deſudarunt in ipſo menſium fonte inueniendo tam recentiorum, quam veterum, permulti. Inter illos ſequentia nunc Celeb. MORGAGN. debemus. Diſſecta virgine, quae menſtruo ſanguine profluente interierat, itemque vna & altera muliere, quibus is fluxus, vel paulo ante obitum aut fuiſſe, aut certe inſtitiſſe videbatur, haec obſeruauit. *Neque in vagina, neque in ceruice quicquam erat, quod cruorem ex earum parietibus prodiiſſe ſignificaret. Contra autem vniuerſi vteri, in ea, cui ſanguinem defluxiſſe conſtabat, in reliquarum vero altera omne fundum, eius ſuprema parte excepta; in altera autem & totum fundum & proxima ceruicis pars, ſanguineis vndique maculis diſtinguebantur, ex quibus maculis mediocri expreſſione guttas cruentas elicere nihil prorſus negotii erat. Id cum in ceruice aut in vagina pari expreſſionis vi tentaretur, nihil omnino proficiebatur &c.* (vid. eius *aduerſar. anatom. tom. I.* p. 46.) & plura *tom. IV.* p. 48.) Eſt igitur menſium ſcaturigo vterus. E. vagina vero vteri venientium

nientium exempla ſuppeditat. (Cel. BOHN. in *circ. anatom. phyſiolog. progymn. XVI.* p. 244.) E. & vagina quoque menſium fons eſt. Diſſentientes tandem omnes ad aliqualem conſenſum vergere videntur, reſtrictis ad diuerſos ſtatus ſententiis, inter quos, ille plerumque, hic rarius, obueniet.

§. XIII.

Proſtant exempla hominum ex ciborum & potus defectu iuſto diutius perpeſſo mortuorum; per eosdem igitur corpus noſtrum conſeruatur. Dicemus id, quod ad noſtri corporis conſeruationem aptum aſſumimus, alimentum, & quidquid ex hoc ad tempus in nobis permanens, partem noſtri corporis conſtituit, nutrimentum.

§. XIV.

Matrona poſt fluxum triduanum vteri, abortum patitur, quoad omnes partes perfectum, exſiccum tamen & aridum, hepar albicans & exſiccum, cor pallidum, vaſa vmbilicalia ſicca. Confer. THEOPH. BONNETI *Sepulchret. tom. III. lib. 3. ſect. 38. obſeru. 1. n. 5.*

§. XV.

Humidum dum deficit ſufficiens, ſiccitas exinde reſultat. Concludimus igitur iure omni a foetu exſicco & arido ad eandem cauſam. Cordis pariter ac hepatis color naturalis rubicundus eſt; (per exper.) inter noſtri corporis fluida nullum, ſi, maſſam ſanguineam exceperis, rubicundum inuenies; hinc horum viſcerum color ab hac pendebit. En vero hic (§. 14.) hepar albicans, cor pallidum! nos conuincunt, humidum iſtud deficiens maſſam ſanguineam fuiſſe. Hanc, cum foetus ex matre adipiſcatur, &, cum eiusdem adfluxus illi denegatus ſit, moriatur, ſequitur, vt ſui conſeruatio ex matris maſſa ſanguinea redundet: Ergo & ſui alimentum & nutrimentum (§. 13.)

§. XVI.

Vterus anguſto gaudet orificio; hoc clauſo, clauſa porta eſt menſibus fluentibus alias conceſſa. Illud, quoniam

tempore grauiditatis euenit, hoc tunc eueniet quoque regulariter.

§. XVII.

Vteri interna pars in cauum finitur: (§. 11.) nihilo istud occupante in statu naturali, orificia vasorum mensium libera erunt: ergo, dum nullum resistens externum adest, egressus sanguinis ex illis haud impeditur. Contraria fient per contraria: itaque per foetum in vtero haerentem orificia dicta (§. 12.) obstruuntur ex parte.

§. XVIII.

Foetus ex sanguine materno conseruatur: (§. 15.) sanguis hic cum per placentam in foetum deferatur, haec vero internae vteri cauitati adnata sit; (§. 11.) placenta & vteri vasa erunt canales communicantes, excipientes alter alterum. Sunt haec vasa eadem, quae menses dimittunt, (§. 12.) igitur fluxus eorum per vterum futurus, a placenta, & cum illa connexis, determinabitur.

§. XIX.

Est itaque placenta, (§. 18.) foetus, (§. 17.) ipsum vteri orificium clausum, (§. 16.) singulare id, quod grauidis proprium. Ad motum fluidi vero ex canali liberum requiritur:

1.) Aptitudo ipsius fluidi respondens cauo in quo mouendum erit.

2.) Resistentia in loco egressus nulla.

Deficiente vltima conditione in grauiditatis statu, mensium fluor inibi impedietur, vno verbo, retinetur.

§. XX.

Dum conspicimus integras foetuum secundum grauiditatis menses collectiones, horum magnitudinem diuersam obseruamus, maiorem in maiori, minorem in minori eorundem aetate. Foetus igitur magnitudo vt temporis ratio se habet, §. 2.) a conceptione ducto calculo; hinc minor erit primis post conceptionem mensibus, maior sequentibus.

§. XXI.

§. XXI.

Vbi magnitudo de nouo augetur, ibi magni quid accedit; pro iſtius conditione huius vel maior vel minor quantitas requiritur. Foetus vero minor magnitudine primis menſibus eſt. (§. 20.) Quare etiam additi eidem minor quantitas erit. Sunt quidam recentiorum, qui ex pondere maiore vel minore foetus, ad eius aetatem concludere ſtudent.

§. XXII.

Additum iſtud eſt pars corporis foetus, haec vero fit per nutrimentum, (§. 13.) hinc primorum menſium foetui pauco nutrimento opus erit. (§. 21.) Nutrimentum ex alimento, hoc, in foetu, ex ſanguine materno reſultat. (§. 15.) Ergo pauci alimenti ſanguinis hic foetus eget. Detrahitur hoc pacto a tota maſſa ſanguinea modo aliqua pars; reliqua retinetur. Et haec eſt determinatio ſuperius (§. 18.) enarrata.

§. XXIII.

Breui tempore poſt periodicam ſuam purgationem concipiunt plerumque foeminae, tempore vbi iuſta maſſae ſanguineae proportio. (§. 7.) Menſes dum tunc temporis non fluant (§. 5.) nihil aduerſi inde ſentient grauidae. Redeunte, elapſis aliquot hebdomatibus, fluoris termino, huius excretionis loca clauſa ſunt; (§. 16. 17. 18.) itaque hic ſanguis menſtruus reliquae maſſae ſanguineae admixtus permanebit; (§. 22.) haec inde tantum aucta erit, quantum erat remanentis; quod, cum multum ſit, (§. 21.) conficiet plethoram: (§. 9.) Ergo his menſibus grauidae erunt plethoricae, (§. 10.) gradu vel magis, vel minus tales, quo vel copioſiores, vel parciores alias iis excernendi menſes fluebant, vel hi plus minusue grauiditatis tempore augebantur per circumſtantias ſingulares.

§. XXIV.

Diſcindatur muſculi pars animalis mortui; facta vnitatis ſolutine labia a ſe diſcedent, orto hiatu, notabiliter

maiori illo, quem discindendo fecimus: ergo fibrae dissectae se constringunt, idque ex elasticitate, id est, vi, quae, ablata resistentia, sponte in pristinum statum sese restituere valet.

§. XXV.

Dum in viuis est corpus animatum, si irritatur fibra eiusdem quaecunque, fiat id per actionem vel cum, vel sine motu; constringet se irritata fibra praeter vim dictam (§. 24.) ex alia vi, quam, quia durante vita modo durat, vitalem dicimus.

§. XXVI.

Sub toni voce intelligimus vim constrictoriam compositam ex vi vitali (§. 25.) & elasticitate fibrarum. (§. 24.) Vtramque vim cum fibrae viuae habeant; (§. 25.) concludendum est, quod & tonus iis competat.

§. XXVII.

Confecta plethora (§. 23.) distendendo aget in vasa fluidorum corporis, siquidem maius corpus spatium maius occupat. Tale quid hic est massa sanguinea; (§. 23.) vasa omnia hoc pacto gradu maiori extensa irritantur, irritata sese contrahunt, (§. 25. 26.) constricta fluidum contentum premunt, quod, more omnium fluidorum pressorum quaqua versus, magis tamen eo, vbi minor resistentia est, premit. Vnde etiam regurgitationem massae sanguineae in grauidis primis mensibus versus ventriculum concipere facile est.

§. XXVIII.

Humorum nostri corporis vitiata in se proportio, cacochymia vocata est.

§. XXIX.

Sanguinis circulus est iste motus sanguinis progressiuus, vbi ex vno ventriculo cordis per arterias exiens massa sanguinea in eundem per venas & auriculas redit. A tono cordis & dictorum vasorum hunc progenerari loquitur physiologia.

§. XXX.

§. XXX.

Cum tonus conſtringat vaſa noſtra, (§. 26.) plethora vero expandat eadem; (§. 9.) adparet, quod ab hac iſti reſiſtatur. Reſiſtentia eſt vera actio; actio actionem determinat: ergo plethora maſſae ſanguineae circulum determinat, ita nimirum, vt, quo illa maior, eo hic tardior fiat. (§. 29.)

§. XXXI.

Nihilo ſecius hic circulus (§. 29.) reſolvendo maſſam ſanguineam, ad partium eiusdem ritam proportionem multum confert. (per Phyſiolog.) Imminuto ex parte hoc motu, non poteſt non fieri, quin reſolutio iuſto minor evadat, partes maneant irreſolutae ac tenaces, preſſae ac ingreſſae in minores canaliculos eosdem obſtruant, remaneant hoc pacto, quae excernenda erant, quippe quo etiam mutatur maſſae ſanguineae proportio, iuſta antea (§. 7.) in iniuſtam. E. plethora inducit cacochymiam. (§. 28.)

§. XXXII.

Siſtimus nobis ſub ſpasmi voce involuntariam, inordinatam ac p. n. quamcumque fibrarum viuarum contractionem.

§. XXXIII.

Conſtat irritatio in tenſione quadam; fibra vero rigida difficilius tenditur flexiliori: E. etiam difficilius irritatur. Contrarium in contrariis fiet: quam ob rem omnis fibra facile irritata, facile conſtringitur. (§. 25.) Atqui ſequior ſexus eſt admodum tener, mollis, valdeque ſenſilis: E. ad ſpasmos quoque procliuis. (§. 32.)

§. XXXIV.

Vbi plethora, ibi quantitas fluidorum maior, quam capacitas vaſorum naturalis eſt. Vaſa rotunda ſunt; E. ibi remotio maior parietum ab axi: E. irritatio maior. E. conſtrictio maior, quae, quoniam cauſam agnoſcit plethoram,

 rem

rem voluntati noſtrae haud reſpondentem, inuoluntaria eſt. E. plethora facit ſpasmos, (§. 32.) maxime in ſexu ſequiori.

§. XXXV.

Per os facta praeter naturalis ac violenta euacuatio partium in ventriculo, eique vicinis contentarum, illud eſt, quod vomitum dicimus.

§. XXXVI.

Concipiantur parietes ventriculi repleti ad ſe propius accedentes, contentum in eius cauitate, dum amplius comprimi nequit, egrediendo ceſſet neceſſe eſt. Accedere eſt agere: actio ſine vi non concipitur; per vim quandam itaque acceſſum fieri patet. Vis haec, vel ab extra, vel ab intra haerebit; illa preſſionis, haec constrictionis nomen induit. E. vomitus vt euacuatio pro cauſa agnoſcit vel preſſionem, vel conſtrictionem, ſiue altera alteram excipiente, ſolam conſtrictionem.

§. XXXVII.

Conſtrictio fibrarum inuoluntariarum per interualla ordinis expertia fiens, ſpasmodica eſt. (§. 32.) Vomitu extra quendam ordinem & voluntatis rationem veniente, cauſa eius eadem ratione aget; paucis: per conſtrictionem ſpasmodicam emergit vomitus. (§. 36.)

§. XXXVIII.

Habet ventriculus duo orificia dextrum & ſiniſtrum, quorum hoc, immediate oeſophago connexum, cardia audit; illud, inteſtinis, proxime autem duodeno adnatum, pylorus ſalutatur. Quodſi itaque in ventriculo contentum egreditur, haud alia ratione, quam per haec foramina in has partes fieri id poteſt.

§. XXXIX.

Ab extra tegitur ventriculus abdominis muſculis; ipſe inſuper muſculos ſibi proprios habet. Extant inde duae tantum circa ventriculum vires: vis muſculorum vel ventriculi,

triculi, vel abdominis: harum vel ſingula agit ſeorſim, vel vtraque ſimul; earum actio in conſtrictione conſtat; E. vtraque ventriculum coarctat.

§. XL.

Cardiam (§. 38.) circumdant & claudunt muſculi, qui ligamentum Heluetii conſtituunt; huius ſtrictura vomitum impoſſibilem reddit, apertura itaque poſſibilem. Per vomitum vero, quae eiiciuntur grauia ſunt, tendunt ideo verſus centrum terrae, i. e. inferius. E. in vomitu tam pylorus claudendus, quam inferiores potiſſimum ventriculi muſculi conſtringendi erant. (§. 39.)

§. XLI.

Dicta grauia (§. 40.) dum eiiciuntur, aſcendendo contra propriam ponderis agendique rationem agere debent. Vis itaque pellens eo fortior ſit neceſſe eſt, quo excretionis huius motus, motibus excretionum naturae contrarius magis eſt. E. etiam conſtrictio dicta. (§. 37.) A poſteriori aſſertum hoc confirmatur per agitationem, motum, labores vehementes, quos in vomentibus cernere licet.

§. XLII.

Pyloro clauſo, cardia aperta & muſculis vel abdominis, vel ventriculi, potiſſimum inferioribus vehementer ſe conſtringentibus, non poterit non fieri vomitus. (§. 38. - 41.) Pylorum, praeter valuulam ſuam claudunt, cardiam aperiunt, tam abdomen, quam ventriculum conſtringunt muſculi. E. vomitus fit per actionem muſculorum.

§. XLIII.

Muſculi, maxime licet irritati, denegato iis ſpirituum influxu, non agunt, experientia compertum eſt, ſi ligatur eorum neruus; atque hinc a ſpirituum influxu illorum actio pendebit. At per muſculorum actionem fit vomitus. (§. 42.) E. vomitus non fieri poteſt, niſi adſit quantitas ſpirituum ad eundem ſufficiens; & cum in vomitu

actio

actio musculorum sit irregularis, (§. 37. 42.) talis, ipse spirituum influxus, siue motus eorundem erit.

§. XLIV.

Concludendo ex dictis elicimus, omne id vomitum facere, quicquid ventriculum & abdominis musculos in vehementis cuiusdam contractionis statum, (§. 39. - 49.) vel spiritus in irregularem motum (§. 43.) ponere valet.

§. XLV.

Adsit humorum nostri corporis tanta quantitas, quae capacitatem vasorum in toto corpore naturalem exsuperet; vasa haec, si nihilo secius dictam quantitatem adhuc includunt, cum sint flexilia, extenduntur.

§. XLVI.

Vasa maiora ex fibris composita sunt, minora sunt ipsae fibrae: inde & maiora & minora vasa tono gaudebunt. (§. 26.) E. vt talia, irritatione per extensionem (§. 45.) facta, sese contrahunt. (§. 25.)

§. XLVII.

Extensio dicta (§. 45.) cum totum occupet corpus; contractio haec (§. 46.) in toto corpore fiet: E. etiam in parte eiusdem, ventriculi nimirum & abdominis musculis.

§. XLVIII.

Posito, esset prae aliis humorum congestio versus ventriculum, huius vasa prae aliis extenderentur, se que contraherent vehementius.

§. XLIX.

Vniuersalis causa cum contractionem hanc effecerit, (§. 45. 47.) non poterit non ipsa contractio satis valida ac vehemens esse.

§. L.

Adeoque humorum nostri corporis quantitas vasorum capacitate maior; in vomitui dicatis musculis (§. 39.) producendo contractionem (§. 47.) vehementem, producere vomitum valet. (§. 44.) Maxime tamen si cum re-

regurgi-

gurgitatione humorum versus ventriculum comitata sit. (§. 48.)

§. LI.

Humorem vt plurimum albicantem, spissum, minus fluxilem, dicimus pituitam.

§. LII.

Vomitui materia per illum eiecta peculiare saepius nomen conciliat; sic, si ista sit massa sanguinea sincera, cruentus; si autem pituita, pituitosus nuncupatur vomitus.

§. LIII.

In eo casu, vbi debilitata sunt in ventriculum hiantia vasa gastrica, & vomitus ex constrictione hac (§. 48. 49.) fiat; massa sanguinea cedere cogitur in ventriculum, (§. 27.) quae postea parit vomitum cruentum. (§. 52.)

§. LIV.

Saepissime id accidit, vt quis per vomitum spontaneum id egerat, quod iam ante aliquot dies ingesserat. Alii sponte vomitum pituitosum, (§. 52.) &c. patiuntur. Probatur ex his, saburram vel cruditates ventriculo inhaerentes, vomitum excitandi facultate gaudere. Cruditates tales cum cacochymia inferre possit, sequitur, vt cacochymia etiam inferre possit vomitum.

§. LV.

Si cum plethora (§. 9.) aliqualis cacochymia (§. 28.) connexa est; status iste dicitur plethora spuria. Quodsi vero cacochymia exulet, & dicti humores solum boni abundent, exquisita, siue vera plethora audit.

§. LVI.

Spasmos vomitus producere posse per se patet, siquidem horum causa est constrictio spasmodica. (§. 37.) Insuper, vt irregulares motus, spasmi, motum eundem in spiritibus excitant. (§. 44.)

§. LVII.

Vtut vero in genere ex dictis causis (§. 45. 48. 54. 56.) vomitus oriri possunt; in specie etiam pituitosi vomitus &

alii, e quorum numero cruenti ſuperius mentionem fecimus, (§. 53.) quatenus vomitus ſunt, his ſuum ortum debebunt.

§. LVIII.

Ipſe igitur vomitus cum oriri poſſit a ſpasmis, (§. 56.) cacochymia, (§. 54.) repletione vaſorum nimia, (§. 50.) & regurgitatione humorum; (§. 48.) atque plethora producere poſſit repletionem vaſorum nimiam & regurgitationem humorum dictam, (§. 27.) cacochymiam, (§. 31.) ſpasmos, (§. 34.) ſequitur, vt plethora etiam vomitum generare poſſit.

§. LIX.

Multiplici experientia conſtat,

1.) Grauidas ſaepe foeminas primis geſtationis in vtero menſibus vomitus pati.

2.) Hos vomitus grandeſcente foetu in quibusdam poſt quartum menſem plerumque ceſſare. (conf. Illuſtr. HOFFMANN. *Medicin. Rational. tom. IV. part. III.* p. 493. §. 20.)

§. LX.

Cum vomitus hi (§. 59.) ſe exerant in talibus ſubiectis, vbi plethora actu adeſt, (§. 23.) haec vero progenerare posſit vomitum; (§. 58.) illorum ortus poſſibilis ex hac concipi poterit.

§. LXI.

Quodſi vero probari poſſit vomitus hos (§. 58.) variare, prout variat ipſa plethora in grauidis dictis; (§. 59.) patebit tunc iſtos ab hac actu pendere.

§. LXII.

Ipſe foetus cum in ſuum vſum conuertat ſanguinem, huiusque, pro ſua magnitudine maiori, vel minori, plus vel minus; ſequitur, vt, ſi foetus maiorem copiam ſanguinis recipere opus habeat, minor plethora euadat. Atqui foetus primis menſibus parum ſanguinis in vſum ſuum impendere poteſt, ſiquidem ob exiguitatem ſuam, pauco eget. (§. 22.)

(§. 22.) Grandescenti vero foetui maiore sanguinis copia opus est: huius itaque plus ex materna massa sanguinea detrahitur tunc, quam ante, vnde haec quantitate minor euadit ac eo tempore, quo minor foetus erat; hinc etiam plethora.

§. LXIII.

Decrescit grandescente foetu plethora; (§. 62,) vomitus cessat eodem grandescente foetu: (§. 59. n. 2.) E. vomitus cessat, si plethora decrescit. Crescit plethora primis gestationis mensibus, (§. 23.) eodem tempore vomitus insurgunt; (§. 59. n. 1.) E. increscente plethora, insurgit vomitus. Colligantur haec & sequetur: E. vomitus in grauidis primis gestationis mensibus plerique fientes, oriuntur actu ex plethora. (§. 61.)

§. LXIV.

Quemadmodum vero quantitati cuidam, humorum scilicet, malum hoc (§. 63.) potissimum ortum suum debet; ita, dum eiusdem curationem intendimus, praeprimis ad istam imminuendam maxime erit respiciendum.

§. LXV.

Humor ille peccans est massa sanguinea & quicunque inde resultat; (§. 64.) massa vero sanguinea est composita ex duabus partibus, rubicunda nempe & sero: vtraque igitur imminuenda est. Hoc cum melius fieri non possit, quam per V. S., hanc instituere omnino cogimur.

§. LXVI.

Sequimur hac ratione naturae ductum nobiscum omnino consentientem, siquidem in experientiis cautus ille HIPPOCRATES iam obseruauit, mulieri sanguinem euomenti menstruis prorumpentibus solutionem fieri. (vid. *lib. V. aphorism. 32.*) Idem a se in praxi non semel obseruatum testatur & plura aliorum eiusdem generis exempla in medium profert Cel. MOEBIVS (in *Fundam. medico-physiolog. cap. X. p. m. 156. & 157.*) Licebit itaque hunc naturalis excretionis modum, vtpote salutarem, per artem imitari.

§. LXVII.

Contradicent his, ſcio, illi, qui venae ſectionem in grauidis primis menſibus inſtituere, vel plane interdictum, vel admodum periculoſum putant. Nolo refutando eosdem, in ſpatioſiſſimum campum hunc excurrere, cum iam rei huic ſategit FRID. HOFFMANN. (in *oper. de method. medend. iuxta ſeriem Wallaeian. lib. I. cap. 13. p. 222. ſeqq.*) & monſtrauit non licitam ſolum, ſed neceſſariam eandem ibidem ſaepiſſime eſſe.

§. LXVIII.

Celebretur itaque V. S. ob dictas cauſas, (§. 64. 65.) prouide tamen, modica; tutius hinc parcior & reiterata, quam ſimul & ſemel facta copioſa. Locus eligatur quicunque aptiſſimus huic negotio erit, receptum tamen morem dum ſequi libet, brachia eligi poterunt; nec in talo venam ſecare interdictum eſt. Semper tamen praeſentium circumſtantiarum habeatur ratio, quas grauidae morbus, vires, complexio & habitus corporis ſuppeditabunt.

§. LXIX.

Ipſe vomitus intercipitur per *ligaturas artuum*, caute & non iuſto arctius inſtitutas, *frictiones* pariter *artuum lentas*, potum *aquae temperatae purioris*, quem prae reliquis Illuſtr. HOFFMANN. commendans confitetur, plus potu hoc ſopiendo, quam aliis remediis praeſtitiſſe. Cui diſplicet merae huius aquae potus, eidem addito parum *ſyrupi berberum, granatorum, ceraſor. acid.* cum *flor. tunicae* &c. gratum & colorem & ſaporem conciliare poterit.

§. LXX.

Ab aliis in vomitu arcendo ſingularis virtus adſcribitur externis, regioni epigaſtricae impoſitis, qualia ſunt:

1.) Emplaſtra, vt de *cruſt. pan., oxycroc.*, de *bacc. laur., Stomach.*, de *Tacamahac.*, malaxata cum *oleo nuc. moſch. expreſſ., maſtichin. coct.*, vel deſtillato quodam, vt *chamom.* ad *gutt.* j. vel *alteram* addito.

2.) Ca-

2.) Cataplasmata, parata ex *sufficiente quantitate acet. rosac.*, *rutac.*, vel *simpl.*, *mixti* cum *ferment. pan.*, *pulu. menth.*, *mastich.*, *lign. aloes*, aromatico quocunque & quibusdam dictorum oleorum guttulis.

3.) Vnguenta, ex *oleis destillat. aromat.*, cum *balsam. Peruuiano* & aliis mixtis.

4.) Epithemata, ex aquis destillatis cephalicis & spirituosis, vt *Regin. Hungar.*, *aqu. carbunc. aurea*, *cord. H. S.*, *cinnamom.* & *meliss.* cum *vino*, *balsam. embryon.*, *sale volatil. oleos. Sylu.*, *spirit. vini camphorat.*, aliisque volatilibus blandis conflata.

5.) Sacculi confecti ex speciebus *resoluentibus*, *stomachicis*, *cephalicis*, cum *vino generoso* humectati.

§. LXXI.

Cum ad excretionem fluidi aptitudo eiusdem requiratur, (§. 19. n. 1.) sequitur, vt quicquid massam sanguineam aptiorem ad excretiones naturales reddat, destruat plethorae fulcrum. Efficiunt id, quae sanguinem resoluunt, eumque tenuem reddunt: resoluunt illum *salia med.*, *nitr.*, *tartar. vitriol.*, *arc. dupl.*, *nitr. antimoniat.*, *perlat. &c.* Tenuem eundem reddunt potus, cum salium vsu coniuncti diluentes, sufficienter assumti.

§. LXXII.

Cacochymiam (§. 31.) emendant laxantia blanda, quorum basin *passul.*, *mann.*, *rhabarb.*, *fol. senn.*, *sal sedlizens.*, *anglican.*, constituunt: prosunt etiam clysteres lenes. His, posteaquam eiectae sunt cruditates, *pulueres* conducunt *stomachales*, ex parte cum *absorbentibus* mixti.

§. LXXIII.

Vasa roborant *analeptica* quam *tonica*. Illis annumero *aqu. cinnamom. cydoniat.*, ad cochleare vnum ante pastum: his *ess. tonico-neruin. Stahl.*, *carminat. Wed.*, refracta tamen dosi. In adstringentibus propinandis, hic cautissime mercandum est.

§. LXXIV.

Spasmis (§. 34.) resistunt, partim antispasmodica dicta, vt *pulu. antispasmod. Sthal.* commixtus absorbentibus &c. partim, quae spirituum motum ferocem domant, anodyna dicta &c.

§. LXXV.

Vel solam tamen venae sectionem hanc cum diaeta congrua sufficere ad hunc morbum propellendum, experientissimi quoque viri consentiunt, aliis etiam omnibus medicamentis nihil valentibus: siquidem plurimis indicationibus hac ratione simul satisfit.

§. LXXVI.

Res nonnaturales audiunt omnes illae, quibus homo quidem carere haud potest in statu naturali, quae tamen tam morbosum, quam sanum eiusdem statum producere possunt.

§. LXXVII.

Non sufficiet solum plethoram actu praesentem imminuisse, sed & futurae eiusdem vel in se, vel effectibus in incremento obicem ponere necesse est. Optime id obtinetur per rerum non-naturalium vsum congruum & conuenientem, siquidem hae morbum & sanitatem iuuant. (§. 76.)

§. LXXVIII.

Cum corpus nostrum, quamdiu viuit, calidum sit, effectibus plethorae caloris effectus semper erunt admixti. Scimus massam sanguineam esse corpus elasticum, crescit elater per calorem; E. per aerem nimis calidum massa sanguinea magis elastica fit. Virtute hac maiore pollens, expandit vasa flexilia. E. plethorae actio in se minor per aerem dictum maior reddi poterit. Hanc vero, quicquid producit, id fugiendum; E. & aer nimis calidus.

§. LXXIX.

Frigore condensantur fluida calida: massa sanguinea est calida: E. per aerem frigidum nimis, nimis condensa-

tur.

tur. Denſior maſſa ſanguinea ab eadem eiusdem circuli vi tantum reſolui nequit, quam minus denſa. Valet hic itaque eadem ratio ac ſi circulus maſſae ſanguineae ex parte impeditus eſſet, (§. 31.) ſiue quod aer iuſto frigidior progeneret cacochymiam. Inſuper frigidus aer tranſpirationem inſenſibilem intercipit & fluida per iſtam euacuanda reprimit ad interiora: adiuuat hinc tam plethoram frigus, quam cacochymiam, imo, ultima iamdum praeſente, effluxum nociuarum partium impedit: plethora vero & cacochymia auferenda; E. & aer has producens. Nihil itaque remanet niſi moderati quoad frigus & ignem aeris vſus.

§. LXXX.

Maxime vero circa aſſumenda genium ſuum coerceant grauidae dictae, quippe in quorum vſu & abuſu mali noſtri cauſam plurimum poſitam eſſe diximus, adeo, vt Cel. IOH. IVNCKER. idem ad diaetae vitium referendum putet. (Conf. eius *conſpect. medic. p. 977.*) Grauidae igitur reiiciant cibum concoctu difficilem, ſiquidem cruditates infert; nec non acrem, ſalſum, aromatibus largiter conditum, qui exaeſtuando ſanguinem ad eius expanſionem anſam praebet. Cibus ἔυπεπ]ος concedi poterit, cauendo tamen ne huius nimiam quantitatem ingerant, quippe qui, vt chyli, ita & ſanguinis multum progenerat. E. etiam plethoram. (§. 6. 10.) Praeſtat hoc loco victu tenui vti, reiecto pleno & lauto.

§. LXXXI.

Diluunt ſanguinem, eum attenuant & ad excretiones inde reſultantes aptum reddunt potus tenuiores, minus ſpirituoſi & nutrientes, qui vel in continuum harum grauidarum vſum cedere, vel potui earumdem ordinario interponi ſaltem poſſunt. Explent horum numerum *aqu. ſimpl.*, bonae tamen notae, gypſo carens, *aqu. ptiſan. &c.* quas Illuſtr. HOFFMANN. (in *Medicin. Rational. tom. IV. cap. 9. p. 643.*) magna laude perſequitur, ſpirituoſam vero cereuiſiam diſuadet. (conf. *loc. cit. p. 653.*)

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Detrahunt multum humoris motus. Aſt auctus motus plethoricis infeſtus eſt; igitur lentus inſtituatur, per breue modo tempus continuatus, reiteratus tamen. Illud, ne ad actionem ſanguinis in vaſa maiorem anſa ei detur; hoc, vt per tranſpirationem auctam maſſae ſanguineae, humorum reliquorum quantitas minuatur. Dicta haec ſuppeditabunt id, quod circa quietem obſeruandum.

§. LXXXIII.

Eandem ob cauſam (§. 82.) in ſomni & vigiliarum vſu media via incedere hic conſultum eſt; huic tamen prior concedatur locus.

§. LXXXIV.

Vt in duo genera animi pathemata diſpertiuntur, triſtia & laeta; ita duos effectus praeſtant, ea ratione, vt haec maſſae ſanguineae circulum auctum, iſta imminutum reddant: cum plethora eum etiam imminuat; (§. 30.) hic ſedulo triſtia pathemata fugienda erunt. Laetioribus indulgeri quidem poterit, cum moderatione tamen, optime factum erit, ſi quo ad animum quieta grauida viuat.

§. LXXXV.

De noxa, quae excipit retenta, ſupra meminimus ex parte. (§. 79.) Vno verbo, excreta & retenta ſint quantitati aſſumtorum & plethorae conditionibus proportionata.

§. LXXXVI.

Vtut vero experientia conditiones indicat, ſub quibus militant aegrotae; ita hae conditiones, prout variae indicant, hoc vel illud fieri, vel omitti expoſcent.

S. D. G.

